

scopus; nec unam tantum Provinciam, ut Metropoli; sed multas simul; non civiles modo, sed etiam Ecclesiasticas, sive integra esset diœcesis, sive secus.

(5. Primum quidem apud Græcos, tres tantummodo fuerunt Exarchi, quorum singuli propriam administrabant Diœcesim, eamque integram; Cæsariensis Ponticam, Asianam Ephesinus, et Heracleensis Thracicam. Diœcesis Pontica, cujus Metropolis erat Cæsarea Cappadociae, in sex primum divisa Provincias fuit, Cappadociam, Galatiam, Armeniam, Pontum, Paphlagoniam, et Bithyniam: quæ omnes, excepta Bithynia, in duas postea distributæ sunt. Præterea fuit in eadem Diœcesi Metropolis, et civilis, et Ecclesiastica Nicæa; sed nomine tantum, et honore. In Diœcesi Asiana novem erant Provinciae; harum prima Provincia Proconsularis Asia, cujus Metropolis, immo totius Asianæ Diœcesis caput, fuit Ephesus: cæteræ octo Vicario Asiæ parebant, Hellepontus scilicet, Pamphylia, Lydia, Pisidia, Lycaonia, Lycia, Caria, et Phrygia; quæ deinde in Salutarem, et Pacatianam, uti et Pamphylia in duas, divisa fuit. In hac quoque Diœcesi erant duo Metropolitæ, in Rhodo alter, alter in Lesbo insula. Diœcesis Thracica, cujus olim caput erat Heraclea, deinde vero Constantinopolis, quinque Provincias complectebatur, Thraciam nempe, Rhodopen, Hæminontum, Mœsiam, et Scythiam. Sicut ergo Alexandrinus, et Antiochenus Patriarchæ Exarchi habiti sunt, quod ille Ægypti, hic Orientis Diœcesi præsideret; sic isti non aliunde Exarchi dicti sunt, quam quod in Diœcesion suarum provinciis jus consimile, quod Evagrius *πατριάρχων δικαίον* appellat, obtinerent. Illud tamen Exarchos inter et Patriarchas intererat, quod illorum non eadem essent *ἐξάρχα ἰορτῆς*, quæ Patriarcharum.

(6. Trium horum Exarchorum primum meminit Concilium Constantinopolitanum I. ubi diserte post Alexandrinum, et Antiochenum Episcopos nominantur. Neque tamen inde colligas, fuisse illos primum in hac Synodo institutos. Quum enim ipsis ab eo Concilio præscriptum sit, ne ultra suarum Diœcesion fines jurisdictionem suam protenderent, nullus profecto dubitandi locus relinquitur, quin iidem jam antea existerent, quin etiam eos spectasse Canonem VI. Nicænum, ubi post confirmatas Alexandrini Episcopi antiquas prærogativas, sancitur: « Similiter apud Antiochiam, et cæteras provincias suis privilegia serventur Ecclesiis, » longe vero simillimum est; præsertim quum Canone Constantinopolitanæ Synodi, quo Canon Nicænus explicatur, Ecclesiisque antiqua sua privilegia disertius firmanur, simulque limitibus circumscribuntur, ex æquo Diœcesion administratio ipsis, ac Episcopis Alexandrino, et Antiocheno tribuatur. En Canonem ipsum; « Alexandrinus Antistes, quæ sunt in Ægypto regat solummodo, et Orientis (Antiochiæ scilicet) Episcopi Orientem tantum gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antioche-

næ tributa sunt. Asianæ quoque Diœceseos Episcopi ea solum, quæ sunt in Asiana Diœcesi dispensent; nec non et Ponti Episcopi ea tantum, quæ sunt in Ponto, et Thraciarum quæ in Thraciis sunt, dispensent. »

(7. Verum medio sæculo V. Exarchorum, de quibus hactenus, omnia fere jura, ut Formatarum, ordinandi Metropolitæ, Synodi ex multis provinciis convocandæ, idque genus alia, ad constituendam Constantinopolitani Patriarchæ amplitudinem illis a Concilio Chalcedonensi ablata sunt, et novitio huic Patriarchæ concessa. Aliquid tamen antiqui splendoris illis relictum fuit, ut etiam Binghamus Tom. 1. lib. 11. c. 17. § 22. animadvertit. Nam 1. nomen Exarchorum Diœcesis retinuerunt, eoque se nomine in omnibus Conciliis subscripserunt. Sic in sexto generali Concilio Theodorus, et Philates sese nominarunt, ille Diœcesis Asianæ Exarchum, hic Ponticæ Diœcesis Exarchum. 2. In Conciliis Generalibus sedebant, ac suffragia ferebant, proximi a quinque excellentioribus Patriarchis, Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, et Hierosolymitano; hincque, ut ex Conciliorum Generalium quarti, et sexti subscriptionibus constat, præ cæteris Metropolitanis Ephesinus, et Cæsareensis Episcopi statim post illos Patriarchas considerunt, et sententiam dixerunt. Tertio potestatem recipiendi appellationem a Metropolitanarum judiciis servarunt; quod ipsi illi Chalcedonenses Canones 9. et 17. qui Patriarchæ Constantinopolitano potestatem faciunt accipiendi ab iisdem Exarchis appellationem, nos docent. Cætera eorum jura abrogata sunt. Scribit quidem Evagrius lib. 3. cap. 6. a Timotheo Constantinopolitano Episcopo redditum Ephesino Exarcho fuisse quiddam illi juris fuerat a Chalcedonensi Concilio ademptum; quod et tyrannus Basilicus suo edicto firmavit. At non diu post omnia ad inductam consuetudinem iterum redacta sunt Zenonis edicto. Vide Thommasin Par. 1. lib. 1. c. 17. n. 16.

(8. Dum vero et Imperii, et Ecclesiæ Majestas in Græcia sensim dilabitur, inquit Cantelius in *Metropolitanarum Urbium historia* Par. 1. diss. 1. cap. 3. inanis Exarchi titulus non iis tantum datus est, qui veri, et antiqui fuerant Metropolitæ, ut Ancyrano, ut Synnadeni, sed iis etiam, qui aut nullis præerant Episcopis, ut Chalcedonensi, et aliis permultis; aut meri antea erant Episcopi, ut Lacedæmonis, et Monembasiæ, quorum ille Patrarum fuerat, hic Corinthi Suffraganeus; uterque tamen et Metropolita factus est, et Exarchus.

(9. Immo Exarchi nomen concessum etiam est iis, qui ne Episcopi quidem erant; ut et Chorepiscopis, qui multis oppidis præerant, Hermenopulo teste, et Monachis, qui multis Monasteriis, ut auctor est Balsamon.

(10. Posterioribus denique sæculis Exarchi etiam dicti sunt ii, qui in Provincias a Patriarchis mitti solent ad colligendam eam

pecuniæ vim, qua tributum annuum Turcarum Imperatori persolvatur.

(11. Apud Latinos iidem Primates, qui Græcis Exarchi; Primatis tamen appellatio intra Episcoporum ordinem stetit; is enim Primas interdum nuncupatur, maxime in Gallia, qui aut honoris ævo Comprovinciales anteedebat Episcopos, ut Constantinus Ucticæ Civitatis ab Hilario Papa; aut Urbi præerat, quæ in Notitia provinciæ secundo erat a Metropoli loco descripta, ut Catalaunum in Belgica secunda, et in tertia Lugdunensi Cenomanum.

(12. Quamquam hi Primates erant honoris, non potestatis. Inter eos porro, qui potestatis erant Primates, uti apud Græcos, ita et apud Latinos magna diversitas fuit. Alii enim jam a primis temporibus integram regebant Diœcesim, ut et Romanus Italiam, et Carthaginiensis Africam, et multo post Tolletanus Hispaniam. Alii vero Diœcesis tantum parti præerant, ut Lugdunensis, et Bituricensis certis quibusdam Galliæ provinciis: et ætate nostra, inquit Cantelius *loc. cit.*, quod antea factitatum nusquam legitur. Primates dicuntur multi, quorum jurisdictio cum *Primalis*, tum Metropolitanæ iisdem est finibus terminata. Sed illorum dispar est ratio. Sunt enim, qui nullis unquam præfuerint Metropolitanis, ut Rothomagensis: sunt qui olim multis, nunc nullis; sed eorum alii suos habent, ut vocant, *Officiales*, quorum alter Metropolitanæ jure, alter Primatis judicet; ita ut a priori ad posteriorem provocetur, ut Bituricensis; apud alios vero idem est iudex Primatis, qui Metropolitanæ.

(13. Alia circa Primates Africanarum Ecclesiarum disciplina erat. In pauca contraho, quæ hac de re complures tradiderunt, de Marca in diss. *de Primatu Lugdunensi*, Thommasin par. 1. lib. 1. cap. 20, Binghamus tom. 1. lib. 2. cap. 16, § 6, seqq. Selvaggius *Antiquit. christian.* lib. 1, cap. 19, § 3, cum primis vero Emmanuel a Schelestrate in sua Ecclesia Africana diss. 1, cap. 4, seqq. Igitur in Africa, nulli erant Metropolitanæ; sed tot Primates, quot Provincie. Provinciam quisque suam administrabat: Carthaginiensi parebant omnes. Illorum jura eadem fuerant, quæ apud alias gentes Metropolitanarum. Inter illos tamen, et Metropolitanæ hæc intererat, quod Metropolitanæ statæ et fixæ semper erant; primæ autem Sedes in Africa desultoriæ, et numquam fere eadem; sed nunc hæc, nunc illæ; cum Metropolitanum ipsa Metropolis faceret; primam Sedem in Africa ipse Episcopus; nec enim Urbi, Carthagine tamen excepta, sed ætati, et ordinationis prærogativæ addicta fuit Primatis dignitas: quo quisque antiquior

EXCOMMUNICATIO.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — Quoad Excommunicationis esse, et divisionem.

1. Excommunicatio quid sit? — 2. Hæc Censura inducta est in Ecclesiam propter potestatem ligandi Prælati Ecclesiasticis traditam. — 3. Et in praxim

in provincia Episcopus, is eo Primati vicinior; ille demum Primas, qui omnium antiquissimus. Hinc Leo IX, *Epist. 4, ad Petrum, et Joannem Episcopos* de Primatibus Africæ vere scripsit: « In singulis enim Africæ provinciis antiquitus Primates instituebantur, non secundum potentiam alicujus Civitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis; » hæcque de causa factum puto, ut Primates in Africa *Senis* nomine passim vocarentur, uti ex Codice Africano can. 90, et ex S. Augustini epistolis 236, 261, aliisque discimus.

(14. Ad avertendam vero quæcumque de Primatu controversiam bina disciplinæ capita ab Africanis Patribus sapienter constituta sunt in Milevitano Concilio. Primum (can. 14.) ut quilibet Episcopus « litteras acciperet ab ordinatibus suis manu eorum subscriptas, continentibus Consulem, et diem, si nulla altercatio de posterioribus, et anterioribus, oriatur. » Alterum (can. 13); ut Episcopi in Conciliis singuli, prout consecrationis antiquitas postulabat, locum occuparent, sederent, suffragia ferrent.

(15. Diximus, in Africa jus Metropolitanæ certæ Urbi non fuisse alligatum. Provincie tamen Metropoleos aliqua ratio habebatur. Eo enim jure potiebatur civilis Metropolis, ut æque in ejus Ecclesia, atque in Ecclesia Primatis *matricula*, et *archivium* servaretur. Hinc in Synodo Milevitana I. *Cod. Afric.* can. 86, statutum fuit: « Placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, ut matricula, et archivium Numidiæ, et apud Primam Sedem sit, et in Metropoli, id est Constantina. »

(16. Illud addendum in Africa et Episcopo Seniori, siquidem suo munere haud recte defungeretur, Primatum auferri potuisse; qui sane ad proximum ante reliquos omnes consecratum devolvebatur. Exemplo esse potest Priscus Mauritanie Cæsareensis Episcopus de quo S. Augustinus *Epist. 261*. In Orientali quoque Ecclesia quædam huic similis consuetudo videtur obtinuisse, ubi Metropolita, aut Primas a legum norma desisceret: illi enim munere ad tempus abrogato, Primatus plerumque Seniori in provincia deferebatur. Refert Eusebius lib. 5, h. e. capit. 23, Concilium Episcoporum Ponti, « quibus Palma utpote antiquissimus præfuit. » Cur autem non Primas, qui Heracleensis Episcopus erat, sed Amastrianorum Antistes Palma « antiquissimus præfuerit Episcoporum, » Binghamus, et Selvaggius causam fortassis fuisse conjiunt, quod Metropolita a sacræ disciplinæ legibus aberranti munus, saltem ad tempus, abrogatum fuisset.

deducta ab Apostolo Paulo. — 4. Excommunicatio in Jure sæpius *anathema* appellatur. — 5. Anathema græce significat latine separationem alicujus a reliquis partibus. — 6. Excommunicatio, et anathema licet essentialiter non differant, differunt tamen quoad solemnitatem. — 7. Excommunicatio, vel incurritur ipso Jure, vel si ab homine infligitur, sola sententia

Judicis Ecclesiastici in scriptis concepta cum minori strepitu, quam anathema pronuntiatur. — 8. Anathema autem infligitur cum majoribus caeremoniis ad majorem terrorem aliorum praescriptis. — 9. Assignatur modus observandus in fulminatione anathematis. — 10. Hinc contumaces contra praecipua Ecclesiae, primum excommunicari, deinde vero crescente contumacia anathemate infligi jubentur. — 11. Excommunicatio dividitur primo in majorem, et minorem. — 12. Excommunicatio major quid sit? — 13. Excommunicatio minor quid sit? — 14. Excommunicatio simpliciter lata, sive a Jure sive ab homine intelligitur semper de majori. — 15. Excommunicatio dividitur secundo in Excommunicationem latae sententiae, et sententiae ferendae. — 16. Excommunicatio latae sententiae quae sit? — 17. Excommunicatio sententiae ferendae quae sit? — 18. Excommunicatio dividitur tertio in excommunicationem, quae fertur a Jure, et excommunicationem, quae fertur ab homine. — 19. Excommunicatio, quae fertur a Jure qualis sit? — 20. Excommunicatio, quae fertur ab homine qualis sit? — 21. Hinc patet supponi censuram in genere aliam esse a Jure, aliam ab homine, quae describuntur. — 22. Excommunicatio dividitur quarto in Excommunicationem reservatam, et non reservatam. — 23 ad 25. Alia pauca de Excommunicatione.

ARTICULUS II. — *Excommunicationes Summo Pontifici reservatae in Pontificiis Constitutionibus.*

ARTICULUS III. — *Excommunicationes Summo Pontifici reservatae in aliis Pontificiis Constitutionibus.*

ARTICULUS IV. — *Excommunicationes nemini reservatae.*

ARTICULUS V. — *Excommunicatio quoad eos, qui possunt, vel non, Excommunicare, et Excommunicari.*

1 ad 8. Personae quae Excommunicare possunt. — 9. Concilia Generalia, et Provincialia in sua Provincia, aut Natione, sicuti, et Capitula, seu Congregationes, tum Generales, tum Provinciales omnium Regularium. — 10. Excommunicare non possunt Laici. — 11. Nec mulieres, etiamsi sint Abbatissae Monialium. — 12. Nec Clerici conjugati durante conjugio. — 13. Excommunicari possunt solummodo Christiani viatores graviter et contumaciter delinquentes, rationis capaces, et jurisdictioni Judicis ferentis excommunicationem subjecti. — 14. Judaei, Pagani, Saraceni aliive infideles excommunicari non possunt. — 15. Possunt tamen excommunicari Haeretici, Apostatae, atque Schismatici. — 16. Mortui excommunicari non possunt. — 17. Excommunicari non possunt nisi contumaces, qui neque monitionibus, neque aliis levioribus poenis, et Censuris possunt ad Ecclesiae obedientiam, et debitam submissionem reduci. — 18. Infantes, Furiosi, et Amentes non possunt excommunicari. — 19. Non possunt excommunicari, qui non sunt subjecti jurisdictioni Judicis ferentis Excommunicationem. — 20. Papa a nemine potest excommunicari. — 21. Universitas, Universitas, Collegium, Capitulum, et quodvis aliud corpus politicum simul, ac collective excommunicari non potest. — 22. Si tamen omnes de Universitate, Collegio, Capitulo, et hujusmodi comperiantur delicti participes, et in eo contumaciter omnes persistentes esse, tunc in omnes singillatim, ac determinate poterit proferri sententia Excommunicationis. — 23. Immo Papa poterit proferre sententiam Excommunicationis in ipsam Universitatem, Collegium, et Capitulum simul, ac collective. — 24. Intelligit tamen quoad Ecclesiam, seu quatenus in facie Ecclesiae se debent gerere, ut excommunicati. — 25. Secus vero quoad Deum. — 26 ad 33. Qui excommunicare pos-

sunt potestate ordinaria vel delegata. — 34 ad 37. Qui vero excommunicari non possunt.

ARTICULUS VI. — *Excommunicatio quoad ejus effectus.*

1. Primus effectus excommunicationis majoris est privare excommunicatum usu activo et passivo Sacramentorum. — 2. Secundus est privare excommunicatum communibus Ecclesiae suffragiis, et bonis spiritualibus, et fructu satisfactionum Christi, et Sanctorum. — 3. Tertius est privare excommunicatum assistentia divinarum officiorum. — 4. Permittitur tamen Excommunicatis interesse Concioni in Ecclesia habitae tempore, quo non celebrantur divina Officia. — 5. Sicuti etiam possunt privatim orare, et immo tenentur privatim recitare Horas Canonicas, si ad ipsas vi Ordinis, vel Beneficii, vel professionis Religiosae teneantur. — 6. Idem dicendum est, licet Beneficiatus, ex quo in Excommunicatione Officium praestare non possit, fructibus privetur. — 7. Quartus effectus est privare excommunicatum Ecclesiastica sepultura. — 8. Quintus est privare Excommunicatum communione politica. — 9. Sextus est privare Excommunicatum communione Forensi. — 10. Hoc tamen de Excommunicatis vitandis, et non tolerantis solummodo est intelligendum. — 11. Nihil vero obstat, quominus Excommunicatus in causis tum civilibus, tum criminalibus, tamquam reus conveniri possit. — 12. Sic etiam Excommunicatus potest ea omnia agere, aut etiam petere, quae ad sui legitimam defensionem necessaria sunt. — 13. Septimus effectus est privare Excommunicatum, saltem vitandum, omni jurisdictione Ecclesiastica, ut omnia ejus acta invalida sint. — 14. Unde excommunicatus non potest alium excommunicare. — 15. Neque conferre Beneficia. — 16. Neque eligere. — 17. Excipitur autem electio Summi Pontificis, quae ob nullam Cardinalium Excommunicationem, suspensionem, vel interdictum infirmari potest. — 18. Octavus effectus est privare Excommunicatum distributionibus quotidianis. — 19. Nonus est reddere Excommunicatum incapacem, et inhabilem ad dignitates, Beneficia, et omnia Ecclesiastica Officia obtinenda. — 20. Decimus est reddere Excommunicatum incapacem, et impotentem ad obtinendum aliquod Rescriptum, sive gratiae, sive justitiae a Sede Apostolica. — 21. Undecimus est reddere Excommunicatum suspectum de haeresi, si per annum in Excommunicatione insorderit. — 22. Et si nullum impedimentum alleget, sequi purgare recuset, potest condemnari, ut Haeticus. — 23. Duodecimus est reddere excommunicatos omnes communicantes extra casus a jure concessos cum excommunicato vitando, seu non tolerato. — 24. Cum hac tamen distinctione, quod communicantes cum Excommunicato in crimine criminioso, scilicet cooperando crimini, et contumaciae, ratione cujus est lata Excommunicatio, incurrunt Excommunicationem majorem. Communicantes autem in rebus sacris, aut politicis incurrunt solummodo Excommunicationem minorem. — 25. Cum hac vero advertentia, quod communicando notabiliter in sacris, et divinis saltem publice celebratis, peccant mortaliter, communicando autem in solis politicis, venialiter. — 26. Effectus Excommunicationis minoris sunt tres, unus proximus, per se, et directus, et alii duo remoti, indirecti, et de consequenti. — 27. Primus, et directus effectus est, quod excommunicatus excommunicatione minori nullum licite possit recipere Sacramentum, et si aliquid recipiat, graviter peccet. — 28. Secundus et indirectus, seu remotus effectus est, quod si sine necessitate ratione Sacramenta ministret, peccet saltem venialiter. — 29. Tertius, et alter effectus indirectus, remotus, et de consequenti est, quod Excommunicatus minori Excommunicatione non debeat eligi ad beneficium Ecclesiasticum, sed electio infirmata sit. — 30 ad 33. Quibus bonis privetur excommunicatus. — 36 ad 37. Effectus civiles excommunicationis.

ARTICULUS VII. — *Excommunicatio quoad ejus absolutionem.*

1. Ab Excommunicationibus a Jure latis, et nemini reservatis absolvere possunt nedum Episcopi, et alii Praelati jurisdictionem habentes, sed pro foro interno etiam Parochi, et simplices Confessarii. — 2. Ab Excommunicationibus a Jure latis, et Papa reservatis (exceptis sex casibus intra Italiam, et extra Urbem de mandato Clementis VIII, reservatis) possunt absolvere etiam Confessarii Regulares. — 3. Ab Excommunicationibus ab homine latis per sententiam specialem potest absolvere solus ille, qui eas tulit, vel ejus delegatus. — 4. Vel ejus Successor, pro quo venit etiam Capitulum Sede vacante. — 5. Vel Superior Censurantis plenam jurisdictionem in illum habens, ut Papa respectu omnium, Generalis respectu Superiorum totius Ordinis, Provincialis respectu Superiorum suae Provinciae. — 6. Non sic autem Archiepiscopus respectu suorum suffraganeorum, nisi ad eum appelletur. — 7. Nec etiam Legatus Sedis Apostolicae, nisi ad ipsum appellatum sit. — 8. Ab Excommunicationibus ab homine latis per sententiam generalem sine ulla reservatione absolvere possunt Episcopus, et alii Praelati jurisdictionem habentes, et pro Foro conscientiae etiam Parochi, et alii Confessarii. — 9. Si autem Auctor illius in ipsa generali sententia ejus absolutionem sibi reservavit, nemo ab illa absolvere potest praeter ipsum Reservantem, vel ejus Successorem, vel Delegatum, vel Superiorem. — 10. Ab Excommunicatione minori a Jure lata absolvere potest in Foro interno proprius Parochus, et omnis Confessarius approbatus. — 11. Excommunicationis absolutio dari potest, nedum intra confessionem, sed etiam extra Confessionem Sacramentalem, etiam absenti, et etiam invito. — 12. Immo etiam mortuus absolvi potest indirecte ad hoc, ut sit capax Ecclesiasticae sepulturae, et suffragiorum Ecclesiae. — 13. Excommunicationis absolutio variis modis dari potest. Primo absolute. — 14. Secundo conditionate. — 15. Tertio ad cautelam. — 16. Quarto cum reincidentia. — 17. Absolutus cum reincidentia, si cessante periculo, vel impedimento non se praesentat Superiori, reincidit in Excommunicationem. — 18. Quinto ad certum duntaxat effectum. — 19. Absolutionis formae variae etiam esse possunt. Assignatur forma absolutionis, cum quis absolvit auctoritate propria. — 20. Assignatur forma absolutionis, cum quis absolvit auctoritate delegata. — 21. Assignatur forma absolutionis, cum Excommunicatio est dubia. — 22. Assignatur forma absolutionis danda publice, et solemniter. — 23. Nemo debet absolvi a majori Excommunicatione sive pro Foro interno, sive pro externo, nisi prius juramento promittat de parendo mandatis Ecclesiae, vel absolverentis, et de non committendo in posterum hujusmodi delicto. — 24. Et etiam nisi satisfecerit parti laesae, vel ad hoc dederit sufficientem cautionem, vel saltem ad hoc praestiterit juramentum. — 25. Si autem ita absolutus postea satisfacere negligat, non reincidit in priorem Excommunicationem, sed poterit iterum a Jure excommunicari. — 26. Absolvens ante praestitum juramentum de parendo mandatis Ecclesiae, vel ante praestitam satisfactionem parti laesae, illicite quidem absolvit, sed valide. — 27. Absolutio extorta metu gravi injuste in eum finem incusso est invalida. — 28 ad 34. De absolutione excommunicationis latae ab homine.

ARTICULUS VIII. — *Absolutio pro Foro conscientiae an prodesse possit etiam pro Foro externa?*

1. Absolutus in Foro interno ab Excommunicatione si non fuerit nominatim Excommunicatus, non tenetur se gerere in Foro externo tamquam Excommunicatus, praesertim si constat ita esse absolutum. — 2. Absolutus in Foro conscientiae ab Excommunicatione occulta, potest in Foro externo etiam publice

habere omnem communionem in Divinis, et politicis, Missam publice celebrare, et alia hujusmodi. — 3. Si vero Excommunicatio, a qua fuit in Foro tantum interno absolutus, sit notoria, et publica, poterit tantum in occulto celebrare, et alia per Excommunicationem prohibita agere, si absit omne scandalum. — 4. Absolutus in Foro conscientiae tantum, si ejus crimen deferatur ad Judicem, licet non indigeat nova absolutione, potest tamen adhuc urgeri a Jure, qui potest contra eum procedere, donec etiam in Foro externo absolutionem obtineat. — 5 ad 9. Distinctio in subjecta materia.

ARTICULUS IX. — *Excommunicati quinam vitandi sint? In quibus, et qualiter vitari debeant?*

1. Jure antiquo omnes Excommunicati erant vitandi. — 2. Jure novo post Concilium Constantiense confirmatum a Martino V, sunt solum vitandi, qui sunt specialiter Excommunicati, et nominatim quoad personam a Jure Ecclesiastico publice sunt denunciati, vel sunt notorii percussores Clericorum. — 3. Nec officit, quod per Concilium Basileense, quod est posterius Constantiensi, et Martino V, praecipiantur vitari non solum notorii Clericorum percussores, sed etiam quicumque alii Excommunicati, etc., usque ad num. 4. — 5. Percussor Clerici tunc dicitur taliter notorius, ut debeat vitari, quando ejus crimen notorie constat, ut non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. — 6. Sic talis percussor esset vitandus, si per proprium visum, per confessionem rei, per plurium testimonium, per publicam famam ita esset notoria percussio, ut nulla tergiversatione posset celari, et ejus malitia excusari. — 7. Si talis percussio esset occulta, vel percussor posset se defendere, et excusare, quod percussio facta sit causa defensionis, vel ex vehementi passione irae in motu primo primi, vel in joco, aut inadvertentia, vel nesciendo esse Clericum, tunc talis Clerici percussor non esset vitandus. — 8. Casus, in quibus vitari debent Excommunicati, reducuntur specialiter ad quinque in hoc vulgato carmine comprehensi: *Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.* — 9. Quid intelligatur prohibitum per *Os*? — 10. Quid intelligatur prohibitum per *Orare*? — 11. Quid intelligatur prohibitum per *Vale*? — 12. Quid intelligatur prohibitum per *Communio*? — 13. Quid intelligatur prohibitum per *Mensa*? — 14. Qui in aliquo ex supradictis casibus absque rationabili excusante causa communicat cum Excommunicato vitando peccat, et incurrit Excommunicationem minorem. — 15. Et si communicet cum ipso cooperando contumaciae, et crimini, propter quod fuit nominatim Excommunicatus, dando ei auxilium, consilium, aut favorem, praeter peccatum mortale, incurrit etiam Excommunicationem majorem. — 16. Communicans cum Excommunicato nominatim a Papa, ac publice denunciato, si est Clericus, incurrit Excommunicationem majorem, si est Laicus Excommunicationem minorem. — 17. Causae rationabiles ob quas licet communicare cum Excommunicatis vitandis, sunt specialiter quinque in hoc vulgato carmine comprehensae: *Utile, Lex, Humiles, Res ignorata, Necessitas.* — 18. Quid intelligatur permissum per *Utile*? — 19. Quid intelligatur permissum per *Lex*? — 20. Quid intelligatur permissum per *Humiles*? — 21. Quid intelligatur permissum per *Res ignorata*? — 22. Quid intelligatur permissum per *Necessitas*? — 23 ad 26. An quae dicta sunt de effectibus excommunicationis oblineant etiam in excommunicato non denunciato. — 27 ad 28. Num post sententiam ab homine latam requiratur denunciatio. — 29. 30. Quae concurrant ut percussores Clerici dicantur notorii. — 31. Alia remissive.

ARTICULUS X. — *De Excommunicatione Canonis, quoad suum esse, et intelligi.*

1. Excommunicatio Canonis quare sic appelletur?

— 2. Per ly *Si quis* quid intelligatur? — 3. Per ly *suadente Diabolo* quid intelligatur? — 4. Per ly *manus violentas injecerit* quid intelligatur? — 5. Per ly *in Clericum* quid intelligatur? ad num. 6. — 7. Canonis privilegio non gaudent Clerici bigami. — 8. Item Clerici, qui dimisso Habitu, et Clericali Tonsura negotiis secularibus se immiscet, si ter ab Episcopo moniti non se emendent. — 9. Item Clerici realiter degradati, et solemniter depositi. — 10. Item Clerici se enormitatibus immiscet. — 11. Per ly *Monachum* intelliguntur omnes Regulares utriusque sexus. — 12. Etiam Conversi, et Conversæ. — 13. Etiam Novitii, et novitiæ. — 14. Item Tertiarii, et Tertiariæ mendicantium in Congregatione et Communitate viventes. — 15. Item mulieres Tertiariæ in propriis domibus viventes, virginalem et cœlibem vitam ducentes ex voto Castitatis de Ordinarii licentia emisso. — 16. Item Eremitæ Habitum Eremiticum ex legitima facultate deferentes, et sub speciali Obedientia Episcopi, vel alterius Prælati alicui Ecclesiæ, vel Eremitorio in communitate, vel separatim deservientes. — 17. Item omnes illi, qui assumpto Habitu religioso Monialium servituti sunt addicti, et pro illis eleemosynas querunt, et prope Monasterium earum more vivunt. — 18. Sic etiam Laici, qui habitu Clericali incedunt, et inserviunt Congregationi Presbyterorum collegialiter sub certo Superiore more Religioso viventium. — 19. Item Equites S. Joannis Hierosolymitani, vulgo dicti *Cavalieri di Malta*. — 20-24. Num excommunicatio contenta in Canone hoc: *Si quis suadente diabolo: sit lata an ferendæ sententiæ.*

ARTICULUS XI. — *Quinam ab incurso hujus Excommunicationis excusentur, vel non?*

1. Primo ab incurso hujus Excommunicationis excusantur, qui laborant ignorantia invincibili, tam Juris, quam Facti, nec eam incurrunt, qui ex conscientia erronea censuram putant ubi non est. — 2. Secundo excusantur, qui Clericum percipiunt ad sui defensionem vim vi repellendo cum moderamine inculpate tutelæ. — 3. Tertio excusantur, qui fortuito ex subitanea ira, vel passione, sine sufficiente deliberatione Clericum lædunt. — 4. Quarto excusantur Clerici se ad invicem percipientes ex mero joco, et levitate, et non ex odio, invidia, et indignatione. — 5. Quinto excusantur percipientes Clericum, vel Monachum inventum turpia agentem cum Matre propria, filia, sorore, et uxore. — 6. Sexto excusantur mulieres percipientes Clericum, vel Monachum pudicitiam suam facto tentantes. — 7. Septimo excusantur percipientes Clericum privilegiis Clericalibus a suo Episcopo privatum, vel publice exercentem macellum, et munus Tabernarii, vel artem mechanicam post trinam Episcopi monitionem. — 8. Octavo excusantur Officiales laici percipientes Clericum involuntarie, et casualiter arcendo turbam, et omnes, qui ratione Officii, quod in Ecclesia obtinent, repellunt turbantes Divina officia. — 9. Nono excusantur Clericum percipientes correctionis causa, ut Magistri, Parentes, et propinqui. — 10. Magistri tamen, Parentes, et propinqui si sint Laici, habent solum jus corrigendi, et puniendi Clericos in minoribus, non autem in Sacris, et majoribus Ordinibus constitutos. — 11. Decimo excusantur præ cæteris Prælati Ecclesiastici, si correctionis causa Clericos, vel Monachos sibi subditos nedom in minoribus, sed etiam in majoribus Ordinibus constitutos juxta gravitatem culpæ castigaverint, dummodo id faciant perse, vel per alium Clericum, vel Monachum. — 12. Si autem per Laicum fecerint, tam Prælati mandans, quam Laicus mandatum exsequens Excommunicationem incurrit. — 13. Excipitur tamen casus urgentis necessitatis in quo id nequeat aliter fieri, quam per Laicos. — 14. Non excusantur primo nedom manus violentas in Clericum, vel Monachum suadente diabolo injicientes, seu etiam id

mandantes, dummodo effectus sequatur. — 15. Mandans hanc incurrit Excommunicationem, licet de mandato pœniteat, antequam suum mandatum fuerit effectum, nisi mandatum revocaverit, et de revocatione ante exsequutionem mandati mandatarium serio monuerit. — 16. Sic etiam eam incurrit projiciens e tecto lapidem cum deliberatione occidendi Clericum, quamvis statim post jactum pœniteat, atque si posset, revocaret. — 17. Secundo non excusantur illi, qui licet non mandent violentam manuum injectionem in Clericum, vel Monachum, suo tamen nomine, gratia, vel intuitu factam signo aliquo externo rati habent. — 18. Non autem eam incurrunt, si rati habeant talem violentiam factam non suo: sed solum alterius nomine. — 19. Tertio non excusantur, qui Clericum, vel Monachum etiam absque alia læsione corporali recludunt, vel detinent in carceribus publicis, vel privatis, et in aliqua domo, vel alio in loco injuriose, et violenter retinent, ne exire possint, etc. — 20. Quarto non excusantur consulentes, auxilium ferentes, consentientes, sociantes, — 21. Quinto non excusantur omnes illi, qui ex officio, vel alio titulo tenentur, et possunt sine suo gravi incommodo hanc violentam manuum injectionem impedire, et non impediunt, si que tacite consentiunt, et permittunt. — 22. Sexto non excusantur percipientes Clericum etiam in sui percussione consentientem. — 23. Immo per Sprellum, Barhosam, et alios triginta gravissimos Auctores Clericus incurrit hanc excommunicationem se ipsum percipiendo, si hoc faciat ex malitia, et passione, animo irato, et non ex fervore devotionis. — 24. Septimo non excusantur qui venenum Clerico, vel Monacho propinant. — 25. Immo hæc excommunicatio incurritur statim ab initio propinati veneni. — 26. Octavo non excusantur percipientes Petrum Clericum, credentes illum non esse Petrum, sed Paulum similiter clericum. — 27. Nono non excusantur percipientes Clericum, vel Monachum etiam mortuum, vel male tractantes ejus cadaver. — 28. ad 57. Quando percipientes Clericum non incurrant excommunicationem.

ARTICULUS XII. — *Quinam ab Excommunicatione Canonis possint absolvere, vel non?*

1. Percussio, seu violenta manuum injectio in Clericum est triplex: levis, mediocris, et enormis. — 2. Quæ sit levis? — 3. Quæ sit mediocris? — 4. Quæ sit enormis? — 5. Percussio, seu injuria de se non gravis et enormis, potest esse enormis ratione qualitatis personæ offensæ; et loci, in quo offenditur, ad num. 6. — 7. In articulo mortis, et in absentia Superioris, ad quem de jure spectat absolutio, quilibet Sacerdos potest absolvere ab hac Excommunicatione, etiam per percussorem enormem contracta, sicuti de qualibet alia, cum onere, ut elapso periculo absolutum compareat coram Superiore, ad exequendum, quod ille præscripserit, ad num. 8. — 9. Extra articulum mortis possunt ab Excommunicatione Canonis etiam per percussorem mediocrem, et enormem contracta absolvere Legati a latere. — 10. Et isti Legati a latere possunt absolvere omnes undecumque advenientes. — 11. Legati autem missi, sive Nuncii Apostolici possunt solum absolvere eos, qui sunt in Provincia suæ Legationis. — 12. Extra mortis articulum possunt Episcopi absolvere ab hac Excommunicatione contracta ob percussorem levem etiam publicam. — 13. A contracta vero ob percussorem mediocrem, et enormem possunt absolvere tantummodo si sit occulta, et si fuerit publica, possunt ab ea absolvere, si Personæ Excommunicatæ sint impeditæ adire Pontificem impedimento perpetuo, vel longissimi temporis. — 14. Si impedimentum est perpetuum, absolvuntur sine onere comparendi; si impedimentum est solum temporale, absolvuntur cum onere comparendi cum primo commode poterunt, alias reincidunt in aliam

similem excommunicationem. — 15. Prælati Regulares an possint suos subditos, et novitios absolvere ab Excommunicatione contracta ob quancumque percussorem, etiam enormem; ad num. 17. et vide verb. *Prælati Regularis* num. 51. — 18. Regularis percipiens Religiosum alterius Ordinis debet absolvi ab ambobus eorum Prælati. — 19. Et si Religiosi illi ad invicem, et mutuo se percusserint, poterit quilibet Superior suum subditum absolvere. — 20. Regularis percipiens Clericum sæcularem potest absolvi a proprio Superiore Regulari de licentia Episcopi

ARTICULUS I.

Quoad excommunicationis esse, et divisionem.

(1. Excommunicatio est Censura Ecclesiastica, per quam homo Christianus a communione Ecclesiæ separatur. cap. *Omnis Christianus*, 32, caus. 11, q. 3. (2. Hæc censura inducta est in Ecclesiam propter potestatem ligandi Prælati Ecclesiasticis traditam a Christo, Matth. 18, num. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus*, etc. (3. et in praxim deductam ab Apostolo Paulo, qui 1 ad Timoth. 1 in fine, quosdam incorrigibiles Satanæ tradidit, quem locum de Excommunicatione interpretatur D. Augustinus in d. c. *omnis Christianus*: « Quia extra Ecclesiam, inquit, Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiæ communione removetur. » (4. Excommunicatio in Jure sæpius etiam anathema appellatur; anathema enim græce significat latine separationem alicujus a reliquis partibus *Communis*. (5. Licet autem Excommunicatio, et anathema essentialiter non differant, differunt tamen quoad solemnitatem. (6. Nam Excommunicatio, vel incurritur ipso Jure, (7. vel si ab homine infligitur, sola sententia Judicis Ecclesiastici in scriptis concepta, cum minori strepitu, quam anathema, pronunciat, ut colligitur cap. 1 *de Sentent. Excomm.* in 6. (8. Anathema autem infligitur cum majoribus cæremoniis ad majorem terrorem aliorum præscriptis in c. *Debet*, 106, caus. 11, q. 3. (9. Debent enim in anathematis fulminatione duodecim Presbyteri circumstare Episcopum cum candelis accensis præ manibus, et sententiæ fulmine lato, in terram ipsas projicere, et pedibus conculcare, variis aliis maledictionibus, et execrationibus verbalibus huic solemnī fulminationi adjunctis, ut colligitur ex cap. *Nemo Episcoporum* d. caus. 11, qu. 3. (10.

(1) Maxima hujus excommunicationis species erat, quam ex Apostolo 1. Cor. 16. 22. *Maranatha* vocant. Quid autem hoc nomine intelligendum sit, inter ipsos veteres non satis constat, ut apud Selvagium videre est Tom. 6, *Ant. Christ.* lib. 4, cap. 1, § 8. Sed mihi illud probatur maxime, quod Benedictus XIV. *de Synodo Diæces.* lib. 10, cap. 1, num. 7, tradit, *Maranatha* hoc anathemati addidisse, ut excommunicatus, solius Dei judicio relictus, ab Ecclesiæ communione separatus permanere juberetur usque ad adventum Domini, seu ad diem Judicii; quod ex ipsa nominis etymologia elicit Augustinus apud Suarez *de Censur.* disput. 8, sect. 2. Hinc Concilii Toletani IV, an. 655. habiti, Patres LXII. *Maranatha* in eos pronunciarunt cap. 75, qui adversus Regnum, vel Regem conjurarent, illudque explicaverunt: « Hoc est perditio in adventu Domini sit, et cum Juda Scarioth partem habeat. » (EDIT. BARBIEL.)

(2) Excommunicationes *latæ sententiæ* Van-Espen *Jur. Eccles. univ.* par. 3, tit. 11, cap. 6, n. 19, recens adinventas, et per decem omnino sæcula Ecclesiæ ignotas fuisse asserit; reprehendit illas Ayala quod eas non præcedat canonica admonitio; Godscalcus vero Rosemundus Lovaniensis Theologus in suo *Confessionali* cap. 20, illas e medio prorsus auferri vellet, ut quarum usus nullus sit, aut plus ob sit, quam prosit. Espenium porro exemplis non paucis ab antiqua Ecclesia petitis refellit Benedictus XIV,

Diæcesani, vel ab ipso Episcopo. — 21. Moniales exemptæ se invicem etiam graviter, et enormiter percipientes possunt absolvi a suis Prælati Regularibus, vel ab aliis ab ipsis deputatis. — 22. Moniales vero subjectæ Ordinariis se invicem, vel Clericos percipientes absolvuntur ab Episcopo, etiamsi percussio sit gravis, et enormis. — 23. Regulares intra Italiam et extra Urbem possunt absolvere Sæculares a percussione levi solummodo, si ab Episcopo habeant facultatem absolvendi a casibus ipsi reservatis.

Et per hoc contumaces contra præcepta Ecclesiæ primum excommunicari, deinde vero crescente contumacia, anathemate infligi jubentur; cap. *Cum non ab homine* 10. *de Judiciis.*

(11. Excommunicatio primo dividitur in majorem, et minorem; c. *Si quem* 59, *de Sentent. excomm.* (12. Major est censura Ecclesiastica qua Christianus separatur a Communione Fidelium absolute, et simpliciter, sive privatur omnibus bonis communibus, scilicet Sacramentis Ecclesiæ, tam quoad administrationem, quam susceptionem, publicis suffragiis, et convictu, seu societate civili (1). (13. Minor est censura Ecclesiastica, qua Christianus privatur solum passiva perceptione Sacramentorum; d. c. *Si quem* 59, *de Sentent. Excomm.* (14. Excommunicatio simpliciter lata, sive a Jure sive ab homine, intelligitur semper de majori, uti expresse habetur cap. *Si quem* 59, *de Sentent. Excomm.* his verbis: « Si quem sub hac forma verborum: illum excommunico, vel simili, excommunicari contingat, dicendum est, eum majori Excommunicatione ligatum esse. »

(15. Secundo, dividitur in Excommunicationem latæ sententiæ, et sententiæ ferendæ. (16. Excommunicatio latæ sententiæ est ea, quæ ipso facto incurritur, sive criminis perpetratione, sive sententia Judicis; ut si dicatur: præcipimus sub pœna excommunicationis, mox, ipso facto, ex tunc, statim incurrendæ; vel, excommunicatur, communione privatur ipso jure, ipso facto, et aliis similibus. (17. Excommunicatio sententiæ ferendæ ea est, quæ quidem in jure jam statuta habetur, tamen a delinquente non statim, et ipso facto ac delinquit, seu mandatum transgreditur, incurritur ante sententiam Judicis; sed primum debet a Jure infligi, ut si dicatur, prohibemus sub pœna excommunicationis; qui hoc fecerit excommunicatur, Excommunicationem incurret, et aliis similibus verbis, uti habent communiter Canonistæ, et Morales (2).